

IN  
ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA  
ORDINIS MEDICI DECANUS  
**D. GOTTLIEB HENRICUS  
KANNEGIESSER,**

P. T. PRO-RECTOR, CÆSAREÆ CELSITUDINIS CON-  
SILIARIUS CANCELLARIÆ, PROF. ORD. SECUNDUS,  
COLLEGII CHIRURGORUM PRÆSES, NEC NON  
ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOP. CAROL. NAT.  
CUR. COLLEGA, *TELAMON II.*

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
*DE*  
**LAPIDIS MICROCO-  
MICI GENESI**

PROXIMO DIE XIIIX. NOV. HABENDAM

*INTIMAT,*

*ET*

**AD SOLEMNEM**

**PROMOTIONIS ACTUM**

OMNES AC SINGULOS ARTIUM INGENUARUM CUL-  
TORES, HARUMQUE FAUTORES HUMANISSIME

*INVITAT.*

---

KILONII, LITTERIS GOTTER. BARTSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

Pathol. gen.  
119, 16.

*De summa*

*Patholog. 18.*



uplici, materiali videlicet seu passivo, altero immateriali & activo mens dicto, gaudemus immo conflati sumus principio. Ea propter duplici quoque, alteri animam, alteri corpus pessundanti morborum generi sumus obnoxii. Languescit anima *χαριν αμαρτιας*, marcescit corpus *ενεκα δυσκρασιας*, effingit MEISNERUS. Singulos vero singulas partes corporis adfligentes morborum cruciatus, a naturalibus, partim a supernaturalibus & naturae vires superantibus cauissis proficiscentes, fascinationes puta, incantationes, aliasque magicas in humanum corpus actiones, qui dinumerare vellet, & oleum perderet omnino ac operam.

Tot ferme corpus, quot sydera in aethere lucent,  
humanum patitur mala, & ut intus, sic extrinsecus casibus jaetatur iniquis. Patriarcharum quorundam ætas etiam si millenarium fere attigerit, & quamvis PLINIO teste, XENOPHILVS musicus, absque ulla corporis vexa,

xa , se annis vixisse centum & quinque , sit gloria-  
tus *bist. nat. lib. VII. cap. 50. p. 122.* vix tamen ac ne  
vix largis ita fortunae muneribus beatus excogitari  
poterit , qui non semel per vitæ cursum Morbonæ  
perpessus injuriam , cuique non ingenita quasi & con-  
nata quædam corporis imbecillitas . Mox enim ca-  
put , mox pectus patitur & stomachus , mox titu-  
bant artus , mox omnes fragili languent in corpore  
vires , & ferme tot homini morborum insultant co-  
hortes , quot partes in corpore supputantur nostro .

Innumeris vero sensum , vitam & motum facienti-  
bus organis sumus constructi ; hinc numero etiam  
major est copia periculorum corpora nostra pre-  
mentium .

ARNOLDVS de VILLA NOVA 2124. PLINIVS  
vero *bist. nat. libr. 26. cap. I. p. 80.* conatur 300 refer-  
re , & Isacidæ 900 computant morbos . GALENVS  
medicorum sagacissimus , soli visus organo II2. ad-  
scripsit nævos ; & JOHANNES INGRASSIAS tumo-  
rum tantummodo 230 citat genera .

SENECA Cordubensis philosophus , febrium ge-  
nera numerum excedere effatur . Et si hominem tum  
juxta ejus structuram , tum mixtionem , vi scilicet  
cujus morbis evadit obnoxius , consideremus , vero  
verius est illud DEMOCRITI , quod refert HIPPOCRA-  
TES *epist. 2. ad DAMOGET.* *totum hominem a nati-  
vitate esse morbum.*

)C 2

Tanta

Tanta morborum existit caterva , tanta eorumque est complicatio & implicatio , ut cognitu etiam plurimi sint perquam difficiles ; & cum variae eorum sint caussæ , signa etiam , quibus morbi conditionem cognoscimus , ex variis desumenda sunt fontibus . Densis enim umbris ac tenebris , idque vel propter partium vicinarum consensum & communicationem , qua malum in una existens parte simul afficit aliam , vel propter effrenes motus & symptoma ferociter saevientia , vel propter diversorum incommodorum concursum , eorundemque metastasis & metaptoxis , saepe obvelantur morbi .

Solam hanc , quam examine diligenter instituto ex fonte suo eruere aggressus est ornatissimus ac clare doctus Vir JOANNES CHRISTIANVS MARTIENSEN Graboviensis , Medicinæ Candidatus dignissimus , lithiasin seu microcosmici lapidis genefin , & quae hinc inde pendent incommoda contemplaturi , tantis illam latebris reperimus occlusam , ut in ejus recta investigatione cœcutiat saepe oculatissimus .

Publica vero jam exigit necessitas , ut filum abrumpamus , & in illius potius , cuius gratia haec fuerunt prælibanda , descendamus laudes , ac eorum , quæ de ejus natalibus , vitæ serie , virtutibus , studiorumque progressu habemus dicere , mentionem faciamus honorificam .

Natus

.

Natus videlicet ille est Grabovii, urbe Megapolitana florentissima; primum aspexit vitale lumen anno 1715 Mense Maji. Patrem colit virum nobilissimum ERNESTVM DAVIDEM MARTIENSEN, Consulem hujus civitatis meritissimum. Matrem JOHANNIS CASPARI MÜLLERI, Mercatoris Neostadiensis Filiam pietate & virtutibus laudatissimam. Avus paternus fuit vir præstantissimus GOTTHARD MARTIENSEN, Negotiator Graboviensis famigeratissimus. Optimos hos ac dilectissimos parentes, cum jam a prima ætatula Filium omni probitatis & virtutis studio mancipassent, ea praecipua attigit cura, ut publica & privata præceptorum diligente institutione, ejus ad altiora præpararent animum. Laudat Candidatus, ex his imprimis Dni. HENRICI LANGII, Rectoris Graboviensis, nec non Dni. AGVSTI CHRISTOPHORI FERSENII, Collegæ Suerinensis Scholæ, virorum in rem scholasticam soler-  
tissimorum, fidelissimam instructionem. Sed ipsi chari parentes optumam propensionem Phœbeam ad artem in filio cum persentiscerent, non potuerunt quin pharmaceuticæ magistro, GEORGIO WERNERO NIEDTENIO, erudiendum concrederent dexterimo. Positis demum, sub fidelissima manuductio-  
ne tanti viri, fundamentis artis hujus firmissimis, hanc ulterius doctrinam expoliendi curam insumfit præcipuam.

Adiit ea propter urbes florentissimas, Tundram, Stralsundam, Grypswaldiam, Leoburgum &c. ubi locorum per lustrum studio chymico omne prorsus contrivit tempus, donec anno 1739 ingressus hoc nostrum celebre emporium, Musarum sedem celebratissimam. Cum vero eodem fere tempore amplissimae & gratiosae Facultatis medicæ tentamini se se subjecerit, ac suae eruditionis laudanda jam dederit specimina, contigit ut beati STEINII officinæ pharmaceuticae præfectus fuerit constitutus, cui etiam muneri, summa cum laude per annum & quod excurrit, eum praefuisse, nemini ignotum est.

Ut igitur ad intima artis sacraria admitteretur, regnante Pro-Rectori Magnifico & summe Reverendo viro D. GVSTAVO CHRISTOPHORO HOSMANN, Eccles. & supremi Consistorii Consiliario, S. Theologiae Prof. ord. & Concionatore aulico, albo civium academicorum nomen dedit. Receptus in studiosae juventutis ordinem, non illotis manibus mox aggressus est medendi artem, sed in philosophicis antea, ex viri Amplissimi Dni. Professoris FRIDERICI GENTZKENII institutione fructus hausit uberrimos; cui etiam virum Amplissimum Dn. Profess. JOHANNEM JACOBVM QVISTORPIVM, Institutiones Logicas BAVMEISTERI & Metaphysicam WOLFFII explicantem iunxit. Probe igitur hisce subsidiis instructus, non sfernanda prorsus industria peritissimorum Do-

cto-

ctorum adiit palaestras ; ex viri nimirum illustris  
CAROLI FRIDERICI LUTHERI, Consiliarii status,  
Archiatris & Senioris ordinis medici longe dignissimi,  
*materiam medicam* exponentis facundo ore dogma-  
ta percepit solidissima. Deinde B. LISCHWITZIUM  
*Botanicam, Physiologiam, Splanchnologiam & Osteo-*  
*logiam*, explanantem sectatus est sedulo. Pariterque  
ex B. ERNESTI GOTTHOLD STRUVE, Caesareae  
Celsitudinis Consiliarii Status, Archiatris & Professo-  
ris ord. *Physiologiam & Pathologiam* tradentis, soli-  
dissima institutione profectus suos locupletandi in-  
sumsit curam. Neque etiam possum quin praeter-  
eam singularem ejus in me positam fiduciam ; lau-  
do potius ejus animum , quem mihi semper libens  
praebuit attentum. Me enim Doctore quem sibi  
fere continuum elegit, *Physiologiam, pathologiam*  
*generalem ac specialem, semiologiam, materiam*  
*medicam, integrum* ctiam quem vocant *cursum*  
*anatomicum*, cui & *casuale* collegium subjunxi,  
est feliciter emensus. Hisce itaque peractis, sedu-  
litatis & laborum mercedem, summos videlicet, qui  
in arte nostra obtineri possunt, sua dexteritate &  
eruditione confisus, debuit efflagitare honores ; de-  
dit ob id nuperrime ad gratiosam Facultatem litteras,  
quibus, ut ad examina admitteretur consueta, petivit  
modeste ; admissus talem etiam sepe praefstitit, qua-  
lem Ampl. Facultas deinde cognitum judicavit.

Cum



Sächsische  
Landesbibliothek

-ge fördert von der

DFG

Deutschen  
Forschungsgemeinschaft

Staats- und  
Universitätsbibliothek

Dresden

SLUB

Dresden